



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. III. De Simonia

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

do sacram Eucharistiam non continuerunt. Item de corporalibus, pallis & purificatoriis, quando post sacrum usum lota sunt, ex Laym & Bon. imò etiam ante lotionem, Laym. Tamb. l.c.

DUBIUM III.

De Simonia.

ARTICULUS I.

Quid sit, & quatuorplex?

Resp. Simonia, est studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. *D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 1. Laym. l. 1. tr. 10. c. 8. & c.* Dicitur 1. voluntas emendi, &c. quibus verbis intelligitur quivis contractus onerosus, sive venditionis, sive locationis, sive permutationis; aut renunciationis; quia simonia non consistit sine pactione aliqua tacita, vel expressa, & obligatione ex pacto. Quod addo, quia obligatio naturalis quæcunque, ut gratitudinis, sive anctoralis, non sufficit; v.g. quando quis sperat vel intendit tantum, non tamen obligat. *Sa V. Simonia.* Ratio, quia non facit contractum. *vid. Bonac. de Simon. a. 1. q. 6. p. 1. Less. lib. 2. cap. 35. d. 20.* Dicitur 2. pretio temporali, sive illud sit muneris, sive linguæ, ut est laus, vituperium, patrocinium, sive obsequii, & famulatus. Dicitur 3. spirituale, quo nomine intelligitur res supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis, ut gratia & dona Spiritus Sancti, sive causaliter, ut sunt Sacramenta, concilio, preces, & sacramentalia; sive sit effectus & usus potestatis super-

naturalis, ut est consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, praesentatio, confirmatio, collatio beneficii, aliiq; actus jurisdictionis Ecclesiasticae. Dicitur 4. *spiritualium annexum*, ad comprehendendum ea, quae non sunt per se spiritualia, sed ad ea ordinantur, iisque sunt annexa; sive antecedenter, ut jus patronatus respectu beneficii; vasa, & vestes sacrae respectu Sacramentorum: sive concomitanter, ut labor in administratione Sacramentorum, juxta sensum infra dicendum: sive consequenter, ut reditus beneficiorum, qui dantur propter officium spirituale. Unde patet, malitiam simoniae consistere in irreverentia, quae committitur, dum res spirituales instar temporalium pretio aestimantur, & contractibus subjiciuntur: atque esse peccatum mortale ex genere suo, nec veniale fieri posse ex materia levitate: quia nullum donum gratiae, licet patrum, potest vendi sine gravi irreverentia, tum ipsiusmet doni, tum etiam Dei. Potest tamen esse veniale ob actus imperfectionem, & ignorantiam. *Suar. tom. 3. de rel. l. 4. c. 36. Azor. Fill. Lay. l. c. l. 2. c. 35. d. 1.*

Resp. II. Simonia est triplex: *Prima* dicitur Materialis, cum exterius vel nihil datur temporale, (& dicitur pure mentalis,) vel cum aliquid datur, & dicitur mixte mentalis, cum intentione obligandi ad reddendum spirituale sine ullo pacto externo. *Secunda* dicitur Conventionalis, quae ad ipsum pactum exterius procedit sine reali executione, diciturque Pura, si sistat in mutua conventionem. Mixta autem, si de reali & conventionali aliquid pat.

participet, ut v. g. si ex altera tantum parte realiter compleatur. Atque huc reducitur Simonia Confidentiae, cum quis alteri dat beneficium, ut illud sibi vel alteri resignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum. Tertia dicitur Realis, quae scilicet utrimque realiter compleatur. v. Less. l. c. d. 6.

2. Simonia dividitur in eam, quae est juris *livini*, estque prohibita propter malitiam suam, v. g. hostiam consecratam vendere; & eam, quae est juris *humani*, estque mala tantum propter prohibitionem. Et sic ab Ecclesia prohibetur. 1. Venditio beneficiorum, secundum id, quod in ipsis temporale est, scilicet quoad jus praecisum percipiendi fructus. 2. Venditio officiorum extrinsecè tantum ordinatorum ad res sacras, v. g. Sacristae, Oeconomi, Advocati Ecclesiae, Thesaurarii. 3. Oblatio pecuniae alicui facta, ut suadeat alteri, ut det beneficium. 4. Pactio de resignando beneficio, vel solvenda pensione, si alter beneficium tibi impetret. 5. Permutatio, & resignatio beneficiorum: item reservatio pensionis ex beneficio resignato: & in casu permutationis beneficiorum, aequatio fructuum, &c. si absque superioris auctoritate fiant: quae si accedat, licita erunt. 6. Acceptio muneris, etiam spontè oblato, pro examine ad Parochiam, ex *Trident. s. 14. cap. 18.* pro collatione ordinum, pro tonsura, literis dimissoriis, ex *Trident. s. 21. cap. 10.* Excipitur tamen decima pars aurei pro Notario, si salarium non habet, & consuetudo permittat. 7. Exactio pecuniae pro admissione ad religionem, non pro statu tantum, is enim spiritualis est,

ideoque jure divino invendibilis ; sed etiam pro onere sustentationis : nisi monasterii tenuitas vel consuetudo contraria excuset, v. *Laym. ult. Aon d. q. 1. & 2. Less. Azor. 3. p. l. 12. c. 14.* dictis resolves.

I. Simonia est, concionari, catechizare, Missam facere pro pretio, nisi excusetur ratione laboris non intrinseci (is enim sacer est, & inæstimabilis, scilicet vel ipsa actio sacra, vel in ea intrinsecus inclusus) sed extrinseci non annexi rei spirituales ut pro labore itineris, vel cantus in Missa, vel ratione alterius incommodi pretio æstimabilis. Ratio, quia illæ actiones ex natura sua ordinantur ad aliquid supernaturale & ad salutem, non autem ad aliquid temporale, sicut doctio quæcunque etiam Theologiæ, quæ pretio æstimabilis est. *Bon. l. c. & Suar. Fill. & c. v. infral. 6. t. 3. c. 4. Laym. l. i. §. 4.*

II. Item Simonia est, dare vel accipere pretium pro absolutione à peccatis, censuris, pro dispensatione in voto, juramento, impedimento matrimonii, irregularitate, &c. potest tamen in his aliquid exigi per modum mulctæ ad causam piam applicandæ, *Laym. l. c. n. 10.*

III. Non est simonia, dare aliquid ad redimendam vexam à negante Sacramenta in necessitate. *Suar. Less. Laym.* vel ab inique impediente electionem, vel possessionem beneficii, ad quod jus in re habes. Quod addo, quia si nondum habes jus in re, etsi possis redimere vexam ab eo, qui tantum potest obesse, non tamen ab eo, qui & prodesse & obesse potest. Ratio est, quia non datur tanquam

quam pretium æquivalens rei spirituali, sed ut alter ad officium ritè præstandum inducatur. Nec similiter simonia est, dare stipendium ad sustentationem Clerici etiam divitis, promissis, concionibus, aut de eò etiam pacifici. Ratio, quia non datur tanquam pretium spiritualis officii, sed personæ in alterius gratiam occupatæ: nec pro operatione spirituali, ut spiritualis est, sed ut in alterius gratiam suscepta, proindeq; non est eleemosyna, sed debitum iustitiæ. *Suar, Laym, lib. 4. tr. 10. cap. ult. &c. contra Rich, splv. &c.*

IV. Non est simonia, reddere vel redimere pensionem merè temporalem: quia non fundatur in titulo spirituali: nec refertur in functionem spirituales. Dixi, *temporalem*, quia spiritualis, quæ datur v.g. concionatori, vel coadjutori Episcopi propter officium Ecclesiasticum, in eo que fundatur, nec differt à beneficio, nisi quod non sit perpetua, vendi nequit: mixta verò, ut v.g. quæ datur Parocho seni, vel Clerico pauperi ad sustentationem, non quidem vendi potest, redimi tamen potest, modò obligatio recitandi officium B. V. imposita non extinguatur. Quod intellige, si in loco ubi sit venditio, Bulla sit recepta. Ratio, quia quæ pensionem redimit, non emit jus spirituale, sed extinguit onus temporale solvendi certam summam pecuniæ, *Less. c. 35. d. 21. Suar, c. 26. n. 3. Laym. l. c. n. 46.*

V. Non est simonia juris divini, (etsi quandoque juris humani esse possit) spirituale cum spirituali permutare, v.g. beneficium pro beneficio, reliquias cum reliquiis, &c. vel dare temporale

pro temporali, ut si calicem, vel agnos Dei præci-
 se ratione materiæ vendas: vel dare temporale pro
 spirituali, per modum doni gratuiti: etiam cū spe
 vel intentione excitandi ad remunerationem do-
 ni spiritualis, vel contra. Ratio, quia gratitudo non
 respicit pretium, sed beneficium: nec solvit debi-
 tum iustitiæ, sed antidotalis: quo non excluditur
 quin gratis detur. Rectè tamen monet *Suarez*, hu-
 jusmodi dona, ob præsumptionem valde cavē-
 da. Item, donare, promittere, vel legare tempo-
 rale quippiam, sub conditione operis spiritualis
 præstandi, modò non fiat per modum retributio-
 nis, seu commutationis: ut v.g. si parens filio pro-
 mittat munus, si Sacramenta frequentet. Ratio
 quia hinc non intervenit contractus onerosus, sed
 fititur vel in liberali donatione, vel donatione
 sub tali conditione & modo, *Suar. lib. 4. c. 4. Lay.
 l. c. n. 8.*

ARTICULUS II.

Quid sit pœna simonia?

Resp. I. Sola simonia Confidentia, & Realis, in
 Ordine, beneficio Ecclesiastico, & religionis in-
 gressu, pœnas juris ipso facto inducit: licet ob in-
 gressum religionis rarò incurratur, ut dictum, vel
 ob tenuitatem monasterii, vel contrariam con-
 suetudinem receptam. *Suar. c. 56 & 57. Less. d. 23.
 Lay. l. c. 5. 7.*

Resp. II. Ob simoniacam collationem & susce-
 ptionem Ordinum, etiam primæ tonsuræ, incur-
 ritur excommunicatio, & suspensio Papalis. *Less.
 d. 24. Lay. l. c.*

v. 45. Inn. XI.

Resp.

Resp. III. Ob simoniam Realem in beneficio Ecclesiastico, incurritur 1. Excommunicatio Papalis. 2. Irrita est electio, presentatio, confirmatio, & institutio. Unde talis non facit fructus suos: idque etiam licet à tertia persona taliter provisor id ignoraverit: nisi tamen contradixerit, vel nisi à tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur inhabilis; vel nisi bona fide possederit beneficium per triennium, *Less. l. 2 c. 35. d. 31. Laym. l. 4. t. 10. 6. ult. Bon. d. 1. q. 7. pag. 2. num. 20. ex Gomez, Garzia, &c. 3.* Efficitur inhabilis ad idem beneficium, etiam per dispensationem Episcopi obtinendum: aliis tamen beneficiis jure ipso non privatur, nec ad talia obtinenda fit inhabilis ante sententiam judicis, *Suar. c. 57. n. 47.*

Resp. IV. Simonia Confidentiae completa dato & accepto beneficio, licet accipiens promissionem vicissim non impleverit, inducit 1. excommunicationem, Papalem utriq; parti contrahenti. 2. Annulat resignationem & collationem beneficii, in quo est commissa; & inhabilitat ad idem postea obtinendum. 3. Privat omnibus beneficiis & pensionibus antè obtentis; non tamen ante sententiam laram. 4. Beneficia sic collata soli Pontifici reservantur, *Less. c. 35. d. 26. Suar. c. 43. Lay. n. 76.*

ARTICULUS III.

An, & cui restituendum, quod simoniacè acceptum?

Resp. Nihil spirituale simoniacè acceptum, præter beneficiū, (sub quo continetur pensio, se-

F 5

cus-

eundem *Bon.* negante *Lessio*) est restituendum. Ratio, quia cætera vel restitui non possunt, ut Sacramenta; vel non sunt restituenda ante sententiam, cum *Canones* aliud non statuerint, et *Lessio* in 68. *Suar. Fill. &c.* contra *Azor. & Laym. Bon. dis. 1. q. 7. p. 3. diss. 2.* Dixi, præter beneficium, quia hoc retineri non potest, etiam ante *Judicis* sententiam; ut patet, tum ex *Cap. Si quis neque*, *quæst. 1. tum ex 2. extrav. Cum detestabile, de Simonia, v. Bon. l. c.* Ubi addit, etiam fructus perceptos esse restituendos; tum quia nullo justo titulo possunt retineri, cum adeptio beneficii simoniacæ, sit ipso facto irrita: tum quia sic expressè habetur in *extr. Cum detestabile, de simonia, v. D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. Navar. l. 5. Conf. 62. Lessio, c. 35. dub. 31.*

Resp. II. Pretium acceptum pro beneficio, collatione Ordinum, Sacramentorum, & Sacramentalium, si notabiliter excedat id, quod pro sustentatione exigere poterat; item pro admissione ad Religionem, jure positivo restituendum est. Hoc tamen posterius non nisi post latam sententiam, si admissus in monasterium, maneat: quia plerumque ratione alimentorum retineri potest, modo in communem usum convertatur. *v. Bon. l. c. Lessio, l. c. cap. 35. d. 30.*

Resp. III. Acceptum pro beneficio aliave re spirituali, non secuta collatione, jure naturæ restituendum est ei, à quo est acceptum: quia deest titulus retinendi, cum non præstetur id, pro quo est datum. Si verò res tradita sit, simonia utrim-

que
Ecc
pun

P
sim
do

R
con
fa,
qu
qu
ter
ne
q. 1
r. 1

m
vi
fa
au
m

que

que completa, probabilius est restituendum esse Ecclesiæ, & non dantis, quia Ecclesia utrumque punire intendit. v. *Less Lay hic l. c. §. 9.*

TRACTATUS II.

De secundo præcepto Decalogi.

Prohibet hoc præceptum omnem inordinatam usurpationem nominis Dei, qualis potissimum fit blasphemando, temerè jurando, vovendo & non servando: de quibus hic agendum.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex Blasphemia?

Resp. Blasphemia directè opposita laudi Dei, est verbum maledictionis, vel convicii, seu contumeliæ in Deum, sive id fiat attribuendo falsa, sive negando vera, sive tribuendo creaturis; quæ ipsi debentur, sive etiam dicendo vera, sed quæ ad ejus dehonorationem, seu vilipensionem tendant: ut fit per modum ei indignantis, contemnentis, &c. Ita communiter Doctores. *S. Thom. 2. 2. q. 13. Bon. disp. 3. q. 8. Sanch. 2. moral. c. 32. Laym. l. 4. r. 10. c. 6. &c.* Unde resolves.

I. Blasphemat, qui contra Deum infrendens ei, maledicit: item, qui ait se aliquid acturum eo invito: item, qui eum negat, qui seriò jurat per Deos falsos, qui eum vocat Tyrannum, injustum; nolle aut non posse nos juvare, non curare nostra, Dæmonem esse fideliozem, plus posse, non omnia